

Q. D. B. V.

42

Tria Theologica, Tria Politica,  
<sup>U</sup>t

# AUGUSTO AUGUSTEO,

In locum Strenæ

Ad d. 4. Jan. M DC LXXV.  
offerri audiant

Omnes & Singulos,

AUGUSTI FELICITATEM,

*AUGUSTEI INCREMENTUM*

Cupiunt,  
decenter invitat

M. CHRISTIANUS Weise /


Eloq. Prof. Publ.

---

LEUCOPETRÆ,

Excudebat JOHANNES Brühl.

5329  
GOTTA  
FELIX  
GOTTA



E Adriano Imperatore Spartianus memorat, *cap.*  
*16.* Calendis Januariis perfcri-  
psisse, qvid ei totô anno possit  
evenire. Qvæ res, sive aliquid  
trahit ex vero, sive ab Aulicis  
in gratiam Domini fuit disper-  
sa, occasionem facile suppeditat,  
qværendi, qvibus mediis  
hanc sibi notitiam compara-

verit? Spartianus Mathesin nominat: sed paulò ante  
sortium Virgilianarum meminerat *cap. 2.* solicitum  
eum de adoptione apud Trajanum hos in Poëta versus  
invenisse, *è lib. 6. Æneid.*

*Quis procul ille autem ramis insignis olivæ,  
Sacra ferens? nosco crines incanaq; menta  
Regis Romani, primam qvi legibus urbem  
Fundavit, Curibus parvis & paupere terra  
Missus in Imperium magnum, cui deinde subibit.*

Unde in hac Votorum Januariorum præscriptione  
enatum mihi argumētum est, de hoc ipso divinationis  
genere, qvam Græci κληρωματεῖαι s. divinationem per  
fortes, & specialiūs ραψωδομαντεῖαι vel ραψωδομαντικῆν, e-  
jusq; Magistros ραψωδομαντεῖς appellariūt. Sicut n. ραψωδία  
Carminum contexturam & qvasi consarcinationem  
signi-

significat; ita Poëtam majoris nominis arripiebant, ut qvicqvid introspicienti primùm occurreret, haberetur pro oraculo. Et qvidem variò modô divinationes istæ solebant suscipi. Aut enim Poëtæ versus in pittaciis seu minutis schedulis descriptos, conjiciebant in situlam, expectantes, qvem cuique versum in extrahendo fors esset adjudicatura: Aut versus fatidicos describebant, in tabella, & talorum jactui arbitrium permittebant; aut, qvod hujus loci est, arreptô temerè & apertô Poëtâ, qvicqvid primùm se offerebat oculis, futuris suis eventibus applicabant. Sic de Alexandro Severo tradit Lampridius cap. 4. insidiis Heliogabali vexatum, in templo Prænestino has ipsi è Virgilio fortis contigisse:

- - *Si qva fata aspera rumpas,  
Tu Marcellus eris.*

Seu ut aliâ vice oblatas fortis explicat cap. 14.

*Tu regere Imperio populos, Romane, memento,  
Hæ tibi erunt artes, paciꝝ imponere morem,  
Parcere subiectis & debellare superbos.*

Et simile exemplum inter Christianos, nescio, an joci causâ suscepimus, narrat Fabricius *Origin. Saxon. lib. 9. pag. 98.* Annō 1541. animi gratia è carmine Virgiliano fortis à viris qvibusdam eruditis fuisse collectas in villa Luigana, qvam Cardinalis Pisanus in agro Patavino extraxerat, ac MAURITIO, Saxoniam Duci, postmodum Electori hunc ipsum obvenisse versum:

- - *Curibus parvis & paupere terrâ  
Missus in Imperium magnum.*

Qvin etiam à Christianis substituta fuisse Biblia reprehendimus. Qvale exemplum notavit Gregorius Turonensis *lib. 4. cap. 10.* cujus verba, prout in *Corpo Historiae Fran-*

Francicæ edito Hanoviæ occurrunt, liceat proferre integra. Chramnus (Clotarii Regis filius) usq; Divisionense castrum pertendit, ibi q; cùm die Dominicô advenisset, quid gestum fuerit, dicam. Erat ibi tum S. Tetricus Episcopus, positis Clerici tribus libris super altarium, id est, Prophetiae, Apostoli atq; Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, ut Chramno, quid eveniret, ostenderet: aut si ei felicitas succederet, aut certè si regnare posset, divinâ potentia declararet, simulq; unam habentes conniventiam, ut unusquisq; in libro, quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret. Apertò ergò primum omnium, Prophetarum librō reperiunt: Auferam mace-riam ejus, & erit in desolationem, pro eo, qvod debuit facere uvam, fecit autem labruscam. Reseratōq; Apostoli libro inveniunt: Ipsí enim diligenter scitis, fratres, qvia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet, cùm dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus illis superveniet interitus: sicut dolores parturientis, & non effugient. Dominus autem per Evangelium ait: Qui non audit verba mea, adsimilabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: descendit pluvia, flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ejus ruina magna. Imò ipse Turonensis lib. s. cap. 49. de scribit, in summa tristitia & persecutione Davidici carminis sumpsisse librum, ut scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret, reperiisse autem: Eduxit eos in spe & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. Plura hujus farinæ exempla collegit B. Dannhauerus in Colleg. Decal. p. 274. & inter alia jocosum hoc, Metropolitanum Chersonensi acceptō ē manibus Patriarchæ librō, in hæc incidisse verba: Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt.

Aliqvando etiam sola Diaconi vox, qvæ templum  
ingre-

ingredienti primū exaudiebatur, habita fuit pro omni.  
Qvod eruditiss. Casaubonus *in notis ad Spartiani*  
*cap. 2.* exemplo Cypriani cujusdam illustrat, qui transi-  
tum meditans ad partes Christi, hæc initio exceperat  
verba: Χειτὸς ἡμᾶς ἐξηγόρετεν τὸν κατάρρειον νόμον. Et pau-  
lò post ex Esaia: ἴδθ συνήσαι λέγων, ὁ παῖς μου ὁ ἀγαπητὸς, ὁν ἡγέ-  
νεται. Simile quid de Henrico IV. Galliæ Rege narrat,  
Rittershusius *in Exegeſi Genealogiarum p. 45.* Elapſum eum  
anno 1576. è carcere, venisse Alenzonium, ibiq; in pri-  
mo templi ingressu, pro omni accepisse verba decan-  
tata ex Psalmo 21: *Domine, in Virtute tua lætatur Rex.* Nec i-  
gnatum est Cæſareanos annō 1620. in Pragensi prælio  
adversus Fridericum Palatinum, accepisse augurium  
ex Evangelio istius Dominicæ: *Reddite Cæſari, quæ sunt*  
*Cæſaris.* vid. *Flor. Germ. VVassenbergii p. 19.*

Sanè qvod sortilegia è Poëtis capta attinet, non est,  
cur discedamus à mente Augustini, qui *lib. 4. Confess. c. 3.*  
DEo agit gratias, qvòd eò fuerit adductus, ne divinati-  
ones amplius curaret; qvô ipsò loco has etiam Poëta-  
rum fortes exagitat. B. Dannhauerus *loc. cit. p. 271.* has  
addit rationes: 1. *Humana humanis consiliis, qvoad licet semper*  
*tradanda, nec ei rei committenda, quæ cœca esſe, quæ temerè hoc vel*  
*illud agit, nullam certam rationem habens, cur hoc potius quam illud*  
*pronunciet.* 2. *Expressam extare DEi improbationem, Ezech. 21. 21.*

At sortilegia sacra nec probari omnino, nec impro-  
bari possunt, nisi clarè distinxeris licita ab illicitis. Lici-  
ta dico, ubi qvis in anxietate sacram paginam attingit,  
ac prima verba, quasi speciatim ad se dicta, consolatio-  
nis loco accipit. Si enim universa scriptura sermo est  
DEI ad homines, qvemcunq; textum arripuerimus,  
DEum audiemus loquentem: Imò si omnis Scriptura

Θεό-

*Georpius* utilis est ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, &c. peccari non potest, si ad finem hunc asseqvendum aliquid præ cæteris feligatur. Et notabile occurrit exemplum Summi Theologi, *Dn. D. GEIERI*, qvi, cum anno 1665. ipsis Calendis Januariis solenni Concione munus Supremi Concionatoris in Aula Electorali auspicaretur, apertè narrat, in mediis dubitationibus ab improvisa hac vocatione enatis, manus sibi venisse librum Summè Rev. nostri *OLEARI*, qvem de *MIRABILI DEI BENIGNITATE* lingvâ vernaculâ concepit, ubi pag. 456. hæc verba oculis primùm se insinuaverint, non sine omine, ex *Jerem. I, 8*: *Du sollt gehen/wohin ich dich sende/und predigen/was ich dich heiße. Fürchte dich nicht für ihnen/denn ich bin mit dir.* Et fatetur ὁ πάπας Theologus *visum sibi fuisse, DEum ex isto libro secum loqui*. vid. *Concio seorsim edita pag. 8.* Cæterū probari nunquam poterunt sortes, qvæ circa negotia planè specialia suscipiuntur e. g. si Calendis Januariis evolutionā Scripturā primum dictum pro felicitatis futuræ indicio capere velim; vel empturus domum aut hortum, è sacris literis consilium petat. Non enim hunc finem intendit Spiritus Sanctus, ut de futurorum cognitione tali modō evaderemus certiores. Qvin potius clarissima DEI est regula, omnibus fortilegiis potior, *Gen. 4.7. Nonne si benè feceris, venia erit? & si non benè feceris, ad ostium peccatum cubat.*

Qvamobrem qvæ futuri anni debeat expectari prosperitas, nullō divinationis genere libet indagare; sed in vota effundi animus est, qvæ qvafsi in brevi tabula exhibeant, qvid per integrum annum pro AUGUSTA SALUTE simus precaturi. Huc enim nos provocare videtur undecimus hic Januarius, qvem à condito

dito Augusteo nostro attingimus, ut novi decennii ingressum votis solennioribus persequamur, ac, dum primô aperitur Auditorium, nihil nisi faustas acclamationes exaudiri patiamur. Faciet autem ad hoc propositum Actus Oratorius, qvem his diebus Collegio nostro consecrabimus. Ubi

**DN. JOHANNES CHRISTOPHORUS Fischer /**  
LongoSalissâ Thuringus

Aliqua præfatus de singularibus DEi beneficiis præteritô annô perceptis, Commilitones excitabit ad strenas votivas Principi & Gymnasio, qvod à PRINCIPE nominatur, exhibendas. Et quidem procedens

**DN. JOHANNES CHRISTOPHORUS Grönig /**  
Braunsdorfensis

Tria Emblemata è Sacris petita voto suo applicare conabitur.

**DN. JOHANNES NICOLAUS HOYER,**  
LongoSalissa- Thuringus,

Tria Emblemata è Politicis petita subjunget.  
Sedulitatem recommendabit brevitas, brevitatem Pietas. Proinde cum nemo sit, qvi AUGUSTUM nolit esse felicissimum, aut qvi Augusteum non cupiat, qvam maximè auctum, decenter rogamus, velint omnes, qvod domi & in pectore sæpiùs optant, conjunctis quasi viribus nobiscum precari. Ipsam hanc operam divina compensabit gratia, quam devote solicitemus, ut præsentis anni eventum initiis non deteriorrem, sed vel æqvalem, vel feliciorem reddere, procellasq; Germaniæ imminentes & illapsas sine periculo avertere, ac in capita Barbarorum convertere dignetur. Plura optabimus publicè. DEus AUGUSTUM, Patriam, Proceres, Cives, Augusteum servet! P.P. Calend. Jan. M DCLXXV.